



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum

Wiestner, Jacob

Monachii, 1706

Titvlvs X. De Ordine Cognitionum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62656](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62656)

tima vel frivola & frustratoria sit: quæ cognitio utique die festo prohibita est.

35. Nihilominus, eam hujusmodi die validè interponi, in *c. fm. cit.* cum Glossa *V. Quibus*, Panormit. *n. 13.* & Felino *n. 5.* defendunt laudati Fagnanus *n. 21.* & Pirrhing *n. 33. arg. l. 1. cit.* cujus Imperiali rescripto, cum, sicut provocationis causarum pertractatio à feriis removeretur, sic illius temporum cursus adstruatur; ne feriat dies appellationis fatale tempus omnino absumant, ejus saltem interpositionem non excludent. Ratio est; quia ejus interpositio ferè, ut in prima instantia, citationem præcedens libelli oblatio, judicialis & contentiosæ jurisdictionis actus non est; cum, sicut illa, non à judice aut justitiæ ministris, sed à parte & sine strepitu fiat: per eamque à judice recedatur: & si actus judicialis esset, tamen permisa videatur; quod pertineat ad sui defensionem, reo Jure Naturali & quovis tempore permittam.

Neque aliud evincunt in contrarium allatæ rationes; quia imprimis illa etiam judicis cognitio concessa videtur ob favorem rei: cui Jure Naturali concessam sui defensionem adimere aut restringere sacri canones & leges non intenderunt. Deinde; quia, licet cognitio illa Jure pro-

hibita sit, non tamen hoc ipso etiam prohibita & irritata est ipsa rei gravati provocatio ad superiorem: & licet hæc pertineat ad processum, non tamen est illius pars, quæ fit cum strepitu & imbibit judicis auctoritatem: sicut hanc & illum includit pertractatio causæ appellationis.

Septimò demum de Executione: 36. quam, cujuscunque sententiæ sit, die Festo validè fieri, existimat *cit.* Panormit. *n. 13.* Et in *c. fm. de Judiciis n. 22.* quod executio non sit actus judicialis; cum, latâ sententiâ, judex functus sit officio suo, *l. Judex 55. ff. de Re judic.* & executio pertineat ad ministros. Sed melius Felinus in *c. fm. cit. n. 13.* & Suarez *cap. cit. n. 12.* eam die Festo factam irritam: & si factum patiatur, revocandam, docent propter *l. fm. cit.* Verba, *Ut à cunctis executionibus excusetur.* Ratio est; quod executio sententiæ sit processus complementum: sæpe fiat cum strepitu, & plerumque etiam majorem populi perturbationem & distractionem afferre soleat, quàm ullus actus judicialis. Propter quam causam die Festo reum, extra casum necessitatis, neque capi, neque incarcerari posse, ex communi aliorum sensu docet Farinac. *Prax. Criminal. q. 27. n. 106.* 37.



TITVLVS X. De Ordine Cognitionum.

SUMMARIUM.

1. In iudicium sæpe veniunt plures quæstiones:
2. Ex quibus Preparatoria,
3. Et Prejudiciales alia præmittuntur.
4. Declaratur id variis exemplis.
5. Causa etiam major minori,
6. Et

Y 3

6. Et

6. Et Criminalis Civilis præmittenda est:
 7. Adhibita geminâ distinctione.
 8. Prius de matrimonij impedimento,
 9. Quàm de ejus contractu cognoscitur:
 10. Et si, probatio impedimentò super matrimonio,
 11. Et non super illo vel alia questione præjudiciali pronuntietur:
 12. Nisi ista solùm impediât processum,
 13. Vel ad diversi judicis cognitionem spectet.
 14. De Natalium questione incidente solus judex Ecclesiasticus cognoscit:
 15. Si de illis Juris:
 16. Secundùm aliquos etiam si Facti questio sit.
 17. Verius de ista tam Secularis,
 18. Quàm Ecclesiasticus judex cognoscere potest.
 19. Nisi de Facto mota admixta Juris questio sit:
 20. Ut ei, que de Clericatu:
 21. Vel de Hæreseos crimine movetur.
 22. Prius de Spolij actione, quàm de Proprietate,
 23. Et de Spolij exceptione, quàm de ejus actione cognoscitur:
 24. Et si, exceptione probatâ, actor non cogatur ad restitutionem:
 25. Sed ab agendo tantùm repellatur.
- I. **L**ite inter partes contestatâ, præstitoque, si exactum fuit, Calumniæ juramentò, & datis, lapsisque Dilationibus (nisi rei, & aliquando etiam actoris, contumacia aliud exigat) proceditur ad examinanda merita causæ. Quia verò non infrequenter causæ & quæstiones plures in idem judicium deducuntur, quarum una ab altera pendet; ne judiciorum confusio oriatur, statuumdum hoc locò est, quis in earum pertractatione observandus ordo, quæ alteri antè vel post ponenda,

Et quidem, si in judicium veniant per Conventionis & Reconventionis vias, quò ordine pertractandæ sint Tit. 4. n. 31. est explicatum. Si verò earum altera per Exceptionis à reo, vel per conventionis modum ab actore utraque proponatur, unanimitè DD. calculò approbata triplex Regula: & harum.

Prima est, ex duabus vel pluribus causis seu quæstionibus, quarum una ad alterius cognitionem viam parat, aut illam impedit ea, quæ præjudicialis minis propriè, melius Præparatoria dici potest, alterius cognitioni præmittenda est: ut patet in causis Possessionis & Proprietatis, quarum illa, ut cui probandi onus subeundum sit, quis possessionis commodis gaudeat, constet, prius discutienda est, l. Ordinarij 13. C. R. V. l. Incerti 3. C. de Interdictis & c. Ad ultimum 2. de Caus. Poff. & propr. ubi hac de re sermo redibit. Eodem modò ab actore in judicium deducta causa examinanda non est, antequam de opposita illi excommunicationis exceptione cognoscatur, arg. c. Intelleximus 7. de Judiciis: & priusquam de rei, de quo, an clericus vel laicus sit, dubitatur, crimine vel pœna agatur, pertractanda est quæstio Clericatus: & hæc pendente, criminis cognitione supercedendum, c. Si Judex 12. de Sen. excom. in 6. ubi Francus §. Non sic n. 3. & Barbola n. 8.

Secunda Regula est, ex deductis in judicium duabus quæstionibus, quarum una ab altera sic pendet; ut in ista lata sententia absolutoria rei judicatæ exceptionem in illa pariat, itaque hanc absorbeat, illa, tanquam propriè præjudicialis & peremptoria, prius est discutienda, cum; ut in causarum pertractatione ordinatè procedatur: tum verò; ut super iis diversæ & inter se pugnantis sententiæ in eadem causâ & instantia non proferantur; itaque intricatio processuum & negotiorum

gotiorum perplexitas evitetur. Ita cum Bartolo in l. Multum 21. ff. de Condit. & demonstr. pr. Cravetta Consil. 79. n. 7. & aliis Tuschus Practic. V. Præjudicialis, n. 2. & Farinac. Prax. Criminal. q. 100. à n. 59.

4. Declaratur Regula exemplis; sicut enim, si in petitione hæreditatis alicujus intestati in iudicium deductam quæstio, an qui eam petit, filius, vel legitimus sit: aut ad eam, testamentò sibi relictam, agenti defunctum testari non potuisse, vel ultimam ejus voluntatem aliunde nullam esse, opponatur, quæstio de filiatio- ne & natalium defectu, an defunctus testari prohibitus, vel testamentum aliunde nullum sit, tanquam præjudicialium discussio hæreditatis petitioni præmittenda est, arg. c. Tuam 3. Sic cum ad hæreditatis divisionem agenti, eum hæredem non esse, objicitur, prius an an hæres sit, cognoscendum est, quam iudicium divisorium instituitur, l. Per familia 2. pr. ff. Famil. hercis. & si quis fundum Sempronianum & præterea servitutem viæ ad eum per fundum Cornelianum petat, prius de fundi proprietate quam viæ servitute agendum est, l. Fundum 16. ff. de Except. & Præscript. quia, si eum fundi dominum non esse, pronuntiat, præterea servitutis actio evanescit. Sic etiam, si in causam divortii propter viri sævitiam incidat quæstio de valore matrimonii, illius cognitione superledendum est, donec ista tanquam præjudicialis per sententiam terminetur: & si lite in foro Ecclesiastico pendente super matrimonii valore vel nullitate ex viri impotentia proveniente, vir tanquam criminis adulterii reus deferatur ad forum Seculare, prius de valore matrimonii, quam de adulterii crimine cognoscendum est ac pronuntiandum; quod prior sit præjudicialis: & si propter viri impotentiam matrimonium declaretur nullum, adul-

terium propriè dictum ab eo non poterit perpetrari.

Eodem modò, si Canonico contra suum Capitulum agenti pro fructibus sibi debitis; eò quòd non possit residere, eum laicum aut hæreticum vel alterius criminis, propter quod beneficio Ecclesiastico ipsò Jure & factò privatus sit, opponatur, præmittenda est cognitio de ejus statu, & hæreseos vel alio ejusmodi crimine, tanquam præjudicialis & fructuum petitionem elidens, quod decimus refert Puteus Decis. 98. n. 9. & antequam de inobedientia cognoscatur, oppositam exemptionis exceptionem, utpote quæstionem statùs præjudicialem, prius examinandam, notat Zypæus Respons. 1. ad hanc Rubric. n. 2.

Regula tertia, major causa minori 5. præferenda est, secundum Paulum JCT. à l. Per minorem 54 ff. de Judiciis, ubi. Per minorem inquit, causam majori præjudicium fieri non oportet. Rationem reddit; quia Major quæstio minorem causam ad se trahit; sic enim, ut antè dictum, prius pro fundi proprietate, quam ei debita servitute agendum, l. Fundum cit. & quando in idem iudicium Civilis & Criminalis causa deducitur, de ista prius, 6. quam illa cognoscendum est, l. fin. C. de Ord. judic. qui tamen casus non unam distinctionem admittit; cum, si earum altera præjudicialis sit; quòd in ea lata sententia rei judicata exceptionem pariat in altera, ratione præjudicii, quod assert, de illa, quantumvis Civilis sit, cognoscendum, & criminali, licet major sit, interea superledendum, multis DD. relatis doceat Farinac. q. cit. à n. 60. Si verò præjudicialis neutra sit, locus est alteri distinctioni; vel enim causa Civilis ab actore: Criminalis autem ab ejus adversario proposita est per modum exceptionis? & de ista prius agendum erit ratione majoritatis; ut

tis, ut ex l. *Per minorem*, l. *fin. cit.* & l. *Sed de vi* 37. ff. de *Judiciis* cum Bartolo & Baldo in *cit. l. fin. in Summario* desumit *cit.* Farinacius n. 59. Vel in iudicium ab aëore deducta est utraque, ut cum, furem acculans criminaliter, in consequentiam pro rerum ab eo sibi ablatarum restitutione officium iudicis implorat? & in utraque simul procedendum, Fachineo *Controvers.* Lib. 9. cap. 2. aliisque DD. & Urbis etiam tribunalium praxi allegatis, docet idem Farinac. num. 77. Nisi, Civilem prius dirimi, aëoris interfit. His pramissis de cognitionum Ordine, quatuor Casus totidem præsentis *Rubricæ* subiectis textibus proponuntur.

8. Primus est, quò v.g. femina, aliquem virum, tanquam maritum vel sponsum petenti, iste opponit; quòd propter intercedens consanguinitatis, affinitatis vel aliud dirimens impedimentum, inter se & ipsam matrimonium aut sponsalia consistere non possint, juxta c. *Non debet* 8. de *Consang. & Affinit.* Quò casu

An prius matrimonii aut sponsalium initorum, vel impedimenti quæstio pertractanda sit, dubium oritur ex c. *Causam* 16. de *Offic. deleg. c. Accedens* 4. V. *Mandamus, Ut lite non contest.* c. *Ex questione* 10. & c. *Litteras* 13. de *Restit. Spoliat.* quibus textibus de principali causa matrimonii pronuntiat, & viro vel mulieri conjugem repetenti iste restituitur, non obitante consanguinitatis exceptione.

9. Nihilominus, in proposito casu prius de incidente consanguinitatis, affinitatis &c. quæstione cognoscendum, eaque legitime probatâ contra sponsalia & ipsum etiam matrimonium pronuntiandum est, ex rescripto Clementis III. c. 1. relatò: cujus ratio est; quia exceptio consanguinitatis &c. peremptoria est; cum enim matrimonium & sponsalia inter consan-

guineos ipsò Jure nulla sint; ac proinde ex eorum contractu alterum tanquam conjugem petendi jus & actio neutri oritur, probatâ consanguinitatis exceptione, perimitur & omnino corruiat causa principalis matrimonii vel sponsalium. Quare propositâ in iudicio exceptione consanguinitatis, ad cujus probationem se reus offert, frustra recipiuntur actionis probationes de matrimonio vel sponsalibus contractis; quia, exceptione probatâ, matrimonii & sponsalium initorum probatio prodesse non potest.

Neque aliud evincunt in contrarium allegati textus; quia in istorum casibus intentatum fuit possessorium Recuperanda, sive redintegrandi matrimonii: cujus jam consummati possessione vir aut mulier fuerunt spoliati. Unde eis, ad conjugis restitutionem agentibus, iste, consanguinitatis exceptione non obitante, restitui debebat vi Regulæ, quâ spoliatus ante omnia dicitur restituendus, c. *In litteris* 5. c. *Conquerente* 7. & c. *de Restit. Spoliat.* Contra in c. 1. cit. & nostro casu, non Possessorium, sed Petitorium fuit intentatum; quia mulier non tanquam spoliata ad mariti restitutionem agebat: sed eum, à quo nec cognita, neque in domum traducta fuit, propter contractum cum iplo matrimonium vindicandò sibi adjudicari petebat, ut ex verbis, *Peterit quendam in virum* cum Panormit. n. 2. desumunt Fagnanus n. 7. & Gonzalez n. 16. quia adjectâ causâ v.g. *Quia meum est maritus*, vindicari etiam libera perlocutione potest, l. 1. §. 1. ff. de *R. V.* Sed hinc

Dubium aliud nascitur, an, si casus & probatâ consanguinitatis exceptione, iudex super ea, vel super causa tantum principali, scilicet matrimonio vel sponsalibus, debeat pronuntiare. Ratio dubitandi obvia est; quia *De qua re cognoverit iudex, pronuntiare quoque debet*, textus

textus est *l. De qua re 74. ff. de iudiciis* : licet ea incidenter tantum in iudicium sit deducta, ut desumitur ex *c. Tuam cit. § l. Intra 39. pr. ff. de Minoribus* : quorum textuum priori super natalium, in hereditatis: posteriori super ætatis, in restitutionis in integrum petitiones incidentibus, & (sicut *c. 1. cit. consanguinitatis est*) præjudicialibus quæstionibus fuit pronuntiatum. Confirmatur etiam paritate actori per exceptionem oppositæ excommunicationis, litis per sententiam, quæ in rem iudicatam transierit, per transactionem, jus jurandum &c. finitæ, & similibus exceptionum: super quibus à iudice non solum cognoscendum, sed pronuntiandum etiam, antequam ad principalis quæstionis discussionem procedatur, ex *l. A procedente 4. C. de Dilat. § l. Quoniam 26. C. ad L. Jul. de Adult. de iurumunt & consentiunt DD.*

11. Nihilominus de consanguinitatis & aliis exceptionibus præjudicialibus iudex pronuntiare, etsi possit, necessario non debet: sed sufficit, quòd, illà probatà, reum absolvendò & sponsum vel maritum non esse declarandò, pronuntiet super causa principali, ut in *c. 1. cit. ex communi aliorum sensu docet Panormit. n. 11. & Fagnanus à n. 68. & colligitur ex c. 1. cit. quòd cognitioni de quæstione consanguinitatis incidente (nihil addendò de pronuntiatione) subiungi iubetur definitio causæ matrimonialis principalis, & absolutio viri à mulieris impetitione: & ex *l. 1. C. de Ord. jud. ibi, Quoniam non de ea, incidente statùs & præjudiciali quæstione, sed de hereditate, principaliter in iudicium deducta, pronuntiat. Cui consonat l. Si de hereditate 2. C. de Ord. cognit. Ratio est; quia exceptio consanguinitatis &c. concernit negotium principale, scilicet matrimonium vel sponsalia: & ad id perimendum proponitur; eamque ob**

causam, latà super matrimonio vel sponsalibus sententià, quà virum, maritum aut sponsum non esse declaratur, etiam tacitè de illis pronuntiat. Unde corrui ratio dubitationis.

Ne autem istius resolutioni obstant contra eam allegati textus & exempla, præ oculis habendum, probèque notandum est discrimen inter exceptiones incidentes, quæ concernunt factum, sive causam principaliter in iudicium deductam, ut est consanguinitas, matrimonium vel sponsalia prætexta: & hereditatis vel istius divisionis petitionem concernentes exceptiones; quòd illam filius, istam verò petens hæres non sit: & exceptiones 12, emergentes, quæ non ipsum negotium principale, & victoriam in hoc obtinendam concernunt: sed ad processum tantum impediendum proponuntur: ut sunt excommunicationis & similes exceptiones. Super quarum exceptionum posterioribus pronuntiandum est, antequam ad causam principalem procedatur; quia, nisi super iis pronuntietur, aut factò contrarium ostendatur, in causa principali nequit procedi. Super prioribus autem pronuntiare, regulariter non est necesse, sed sufficit; quòd super matrimonio, sponsalibus, hereditate, principaliter in iudicium deductis, pronuntietur, per *c. 1. l. 1. § l. Si de hereditate cit. textus.*

Dico, Regulariter; quia, si quæstio 13, incidens non coram eo, qui de negotio principali pronuntiat: sed coram alio, ut de natalium defectu, ex matrimonii nullitate proveniente, incidens quæstio, non coram Seculari, qui de hereditate principaliter motam quæstionem definit, sed coram Ecclesiastico iudice ventiletur, ab isto priùs super incidente pronuntiandum est, quàm de hereditate pronuntiet, imò cognoscat iudex Secularis, *c. Per tuam cit. § c. Lator 5. Qui filij legit. Eodem modo,*

modò, super incidente quæstione, v.g. super litis per sententiam, transactionem &c. finita exceptione pronuntiandum est, si, ut aliquando contingit, ad ipsum processum impediendum proponatur, juxta c. 1. l. Intra cit. l. Prevaricationis 3. ff. de Prevaricat. & c. 1. de Litis contest. in 6. cit. Fachineus conclus. 1. & 2. & Fagnan. n. 26. & 27.

Secundus casus est, quò in causam, principaliter in judicium Seculare deducam, incidit quæstio præjudicialis, ad forum Ecclesiasticum pertinens, v.g. si auctori, qui coram Seculari judice hereditatem ab intestato relictam tanquam filius petit, reus conventus excipiendò opponat defectum natalium ex matrimonii, inter ejus parentes iniri, nullitate provenientem. Quò casu

24. An judex Secularis super incidente hac de natalibus quæstione cognoscere valeat, dubitandi ratio in speciem minimè levis est; quòd judex, qui ad cognoscendum de causa aliqua principaliter mota competens non est, cognoscere de ea valeat, cum in judicium venit tantum incidenter, ut ex l. Quoties 3. C. de Judic. & l. 1. C. de Ord. judic. desumi & Regulæ instar tradi solet; sic enim, qui de causa statùs, v.g. an quis liber aut servus sit, (cujusmodi etiam est, an, qui hereditatem petit, legitimus sit) inter privatos principaliter cognoscere non potest, ut procurator Cælaris, l. Procuratores 2. C. Ubi causa statùs, cognoscere de ea valet, quando in judicium venit incidenter, ll. cit. Cur non etiam de matrimonii valore vel nullitate, & ex hac proveniente natalium defectu, judex Secularis, si de iis quæstio incidat in petitionem rei merè temporalis, obnoxiam ipsius cognitioni? Cui rationi non modica vis accedit à paritate judicis Ecclesiastici; qui, licet respectu causæ temporalis, inter laicos agi-

tatæ, incompetens sit, can. Cùm ad verum 6. dist. 96. cognoscere tamen valet de ea, in causam Ecclesiasticam incidente, v.g. de quæstione super dote vel alimentis, incidente in principaliter motam causam matrimonialem, c. De prudentia 3. & c. Ep. vestras 7. cit. de Donat. inter vir & uxorem &c.

Sed ratione hac potior & omnino explorata est Juris definitio; cum super defectu natalium, ex nullitate matrimonii, cum impedimento v.g. consanguinitatis aut affinitatis, scienter aut sine denuntiationibus contracti, proveniente, sive principaliter sive incidenter in judicium veniat, Secularem judicem cognoscere non posse; & propterea prius de hac ab Ecclesiastico, quam à Seculari judice de hereditatis petitione cognoscendum vel pronuntiandum, apertè decisum sit c. Tuam 3. ubi Honorius III. delatè ad se causam natalium Adelæ Cypri Reginae, Ludovico VIII. Francorum Regi ita rescripsit, *Quia antequam Natalium causa Reginae Cypri terminata esset, dependentem ex illa successionis in Comitatu Campaniæ causam incipere, nihil aliud esset, quam diversis processibus intricare negotium & confusione quadam judicij ordinem perturbare, si forte ab ipsa Regina fueris super hoc requisitus, donec jam dicta causa natalium Apostolicò judicij solum accepertis, patienter expectes.* Simili modò legitimum natalium causam Ecclesiastico judicij discutiendam, ejusque definitionem in foro Seculari motæ hereditatis petitionis cognitioni præmittendam, Alexander III. Exoniensis, Vintoniensisque & Londinensis atque Vigoriensis Angliæ Episcopi consulentibus respondit, c. Lator 5. & c. Causam 7. *Qui filij legitimi.* Jure non minùs perspicua solidaque ratio est; quia prædicta quæstio dependet à valore matrimonii; de quo ob ejus spiritualitatem & dignitatem

& dignitatem Sacramenti, ad quam in nova Lege elevatum est, *c. Debitum §. de Bigamis, c. Ad abolendum 9. pr. de Heresibus & Trident. Sess. 24. can. 1. de Matrim.* cognosci & pronuntari à Seculari iudice non posse, à laudata S. Synodo definitum est *Sess. cit. can. 12. & Lib. 4. Tit. 18. à v. 2. ex instituto tradetur.*

Neque ita firmatæ Juris definitioni adversariatur; quòd iudex Ecclesiasticus cognoscere valeat de incidente quæstione temporali; quia, licet respectu huius inter laicos agitata incompetens, non tamen incapax est iudex; cum in temporali causa adiri possit de consensu partium, in se prorogantium ipsius iurisdictionem, *l. Episcopale §. C. de Episc. aud. Bartol. in l. Ex consensu 23. pr. ff. de Appellat. & Boërius Decis. 69. n. 4.* Alia ratio est iudicis Secularis; hic enim respectu causæ spiritualis non solum incompetens, sed insuper incapax est; cum in tali causa neque de consensu partium adiri possit ex prorogatione, *arg. c. Si diligens 12. de Foro competentis; neque etiam ex alterius, quam sedis Apostolicæ, delegatione, Glof. la in c. Decernimus 2. V. Non presumant, de Judiciis, Decius ibid. n. 5. in fine, Hostiens. in Summa, de Offic. deleg. n. 3.*

Neque etiam; quòd iudex inferior cognoscere valeat de quæstione statûs, quando incidenter in iudicium deducitur; quia hæc, ut pote temporalis, non exigit iurisdictionem spiritualem: qualem ex dubio matrimonii valore orta Natalium quæstio requirit. Cum ergo laicus iurisdictionis spiritualis capax de Jure non sit, *c. Decernimus 2. §. Quanto 3. cit. Co. de quæstione illa cognoscere non valebit, per text. antè cit. Panormit. in c. Tuam cit. n. 9. Innocent. ibid. pr. & Bartolus in l. Quorsus cit. n. 1. cum Hostiens. in c. cit. n. 7. asserens, id procedere etiam de Jure Civili l. Omnis §. C. de SS. Eccles.*

Atque hæc plerorumque alicujus nominis DD. calculò sunt approbata, si Natalium, aut alia de re spirituali, aut huic annexa orta quæstio sit Juris, v.g. si de matrimonio, quod initum esse constat, dubium & quæstio moveatur, an validè & secundum sacros Canones contractum: an decimæ, ex quibus rebus, an integrè, vel deductis expensis debeantur: an à laico facta clerici præsentatio Simoniaca sit &c.

Dubium autem ingens & inter Interpp. aliòsque DD. magnis in utramque partem studiis militantes agitata, hodiè que celebris controversia est, an, si ejusmodi de re spirituali aut huic annexa incidens, aut etiam principaliter in iudicium deducta quæstio tantum de Facto est, v.g. an alicujus parentes soluti, vel matrimonio ligati: ex quibus fundis, an integræ decimæ sint solutæ: quando, cuius clerici præsentatio sit facta &c. de ea cognoscere Secularis iudex possit; hujusmodi enim quæstionis & causæ cognitionem Ecclesiastico tantum iudici competere, præter alios volunt ex Interpp. in *l. Quorsus 3. C. de Judiciis Baldus n. 3. & in c. Tuam cit. Joan. Andr. n. 7. Panormit. n. 10. Fagnanus à n. 91. ex aliis autem DD. Azor p. 1. Instit. lib. 7. cap. 25. q. 5. in fine, Moneta de Decimis, cap. 3. n. 14. Fachineus Controvers. Lib. 1. cap. 44. & August. Barbosa de Offic. Episc. alleg. 84. n. 31. et si contrarium non obscurè defendat de Offic. Parochi cap. 28. §. 4. n. 1. & 2.*

Moventur Jure & ratione. Illò textuum, *c. Tuam cit.* quòd Natalium quæstio foro Ecclesiastico adstruitur indistinctè: *5. Per tuas 12. Qui filij legit.* ubi quæstio de inito matrimonio, quæ facta est, Ecclesiastico iudicio est definita: *c. Si iudex 12. de Sent. Excommunicat. in 6.* ex cuius decisione de rei apprehensi clericatu mota controversia remittenda est ad eam Eg-

riam Ecclesiasticam: &c. *Ut inquisitionis* 18. §. *Prohibemus, de Heret. in 6.* ubi potestas Secularis de Hæreseos crimine *Quo quomodo*, ac proinde etiam cum de facto quaeritur, *cognoscere* prohibetur. Istâ verò sive ratione; quòd ex una, ea quæ de facto est, à Juris quæstione nequeat separari; cum ex facto Jus oriatur, & ad illud hoc sequatur, *l. Si ex plagis 52. §. 2. ff. ad L. Aquil.* ex altera vero parte, ratione connexionis ad judicem Ecclesiasticum, tanquam digniorem, & qui de connexionum altera cognoscere solus potest, deferenda utraque quæstio sit, *arg. c. Translato 3. de Confit. §. 1. Eum actum 17. ff. de Negot. gest.* Ita isti & verisimiliter omnino.

47. Verisimilius tamen, rei spiritualis quæstionem, quando in mero facto consistit, & reus conventus laicus est, fori Mixti; ac proinde Secularis etiam iudicis cognitioni obnoxiam esse, defendunt in *l. Titia 34. ff. Solutio matrim.* Bartolus *n. 6.* & Petr. Barbosa *n. 36.* Felinus in *c. Cum sit 8. de Foro compet. n. 1.* Ant. de Butrio in *c. Tuam cit. in hos §. 1. Quoties cit.* textus Interpp. alii & ex ceteris DD. Steph. Gratianus *Discept. Forens. cap. 238. n. 12.* Menoch. *Recup. remed. 15. n. 338.* Zypæus *de Jurisdic. Eccles. & Civil. Lib. 1. cap. 39. n. 3.* Sanchez *Lib. 3. de Matrim. disp. 54. n. 4.* Farinac. *Prax. Criminal. q. 8. v. 25.* Oliva *de Foro Eccles. p. 1. q. 8. n. 51.* Sperell. *Decis. 8. n. 55.* Delbene *de Immunit. cap. 5. dub. 14. f. 4. n. 16.* alios referentes. Præcipuum & ferè unicum eorum fundamentum est; quòd iudex de re spirituali aut huic annexa, quatenus in mero facto consistit, cognoscens abstrahat ab omni spiritualitate; ac proinde nulla sit ratio, cur esse nequeat Secularis, præsertim; cum iste, quantumvis respectu quæstionis devalor e iuramenti propter illius spiritualitatem competens non sit,

cognoscere tamen valeat, an id alicui aetui roborando adjectum sit, & ad ejus observantiam compellere laicum jurantem, *c. Licet 2. de Jurejurando in 6.*

Neque obstant *c. Tuam §. c. Per tuas cit.* textus; quia prioris generalitatem satis restringit eò objecti natalium defectus causa: quam consanguinitatem, inter Cypri Reginae parentes intercedentem, fuisse, eruditè & verisimiliter ostendit Gonzalez in *c. Tuam cit. n. 10.* ac proinde ibi de matrimonii initi valore & Juris quæstionem agitatam, cum Anchirano in *Reg. 27. in 6. q. 4.* rectè asserit Petr. Barbosa in *l. Titia cit. n. 36.* Posteriori autem, de facto quidem, & coram iudice Ecclesiastico agitata quæstio fuit: & coram isto, hòc ipso; quòd fori sit Mixti, potuit; sed non necessariò debuit agitari; cum respectu facti super rebus spiritualibus motorum & aliarum Mixti fori quæstionum iudex competens sit uterque, & inter ipsos locus præventioni, ut in *c. Cum sit cit.* passim notant DD.

Difficilior in speciem est *c. Si iudex §. 1. Prohibemus cit.* Sed in speciem duntaxat; dixi enim Seculare, iudicem de rerum spiritualium hisque annexarum quæstionibus cognoscere posse, *Quando consistunt in mero facto & Reus laicus est.* Prius; quia, si facti quæstio admixtam habeat quæstionem Juris, ut ea, quæ de hominis clericatu aut hæresi moventur, ferè semper habent, juxta dicta de illo *Tit. 2. n. 182.* de istius autem crimine dicenda *Lib. 5. Tit. 7. n. 36.* de ea cognitio judicialis ad curiam Ecclesiasticam pertinet: & huic *c. §. 1. cit.* meritò adstruitur, *cit.* Barbosa *à n. 27.* & Oliva *n. 52.* Posterius; quia, cum reus clericus est, de facto in iudicium, etiam sine ulla Juris admixtione, deductò mota controversia indubitè spectat ad curiam Ecclesiasticam; quippe quæ tali casu jurisdictionem, si non in causa,

Infusa, saltem in persona fundatam habet privative; cum persona clericalis in causis etiam Civilibus, non specialiter exceptis, in foro Seculari nequeat conveniri, *Aurb. Statuimus C. de Episc. & cleric. can. Placuit, 11. q. 1. c. Si diligenti 12. de Foro compet. Covarruvias Practic. cap. 35. n. 1. V. Primùm Gutierrez Q. Canon. Lib. 1. cap. 34. à n. 22. & aliis DD. relatis Oliva q. cit. n. 64.*

21. Neque, ut nonnullis non infimæ auctoritatis DD. visa est, aliud persuadet ratio; quia, licet ex facti qualitate pendeat pronuntiatio de jure, alicui competente: & variatæ illius circumstantiæ etiam hoc variant; ut, iis non probatis, jus partis determinari non possit: quod solum *l. Si ex plagis cit. §. 2. textus evincit: facti tamen quæstio ab ea, quæ de Jure est, separari & sine ista decidi potest; cum sint omnino diversæ: & quantumvis ista sit spiritualis, talis tamen non necessariò sit etiam illa, Jason in l. Quoties cit. n. 7. Ripa in c. Decernimus 2. de Judiciis n. 17. & cum ipsis cit. Barbosa n. 25. & Oliva n. 35.*

22. Tertius casus proponitur *c. fm.* quò reum super spolio, sive iudicio Possessorio recuperandæ possessionis, conventum, si actorem iudicio Petitoriò, v.g. alicujus rei vindicatione reconveniat, non audiendum deciditur; quia spoliati speciale privilegium est; quòd ante omnia sit restituendus; & propterea contra actorem, restitutionem petentem, reus super proprietate priùs non audiatur, quàm restitutio sit facta, *c. Ex literis §. e. Conquerente 7. Et. de Restit. spoliat.* ubi hac de re plenius agendi proprius est locus.

23. Quartus demum est, quò agenti super spolio vicissim obijcitur Spolium. Quem casum ponderanti videri potest, actori spolium opponi à reo non posse priùs, quàm de spolio, contra se in iudicium

deducto, ipse sit purgatus; cum spoliatio sit crimen, de quo accusatus accusantem super pari crimine reaccusare antè non permittitur, quàm de crimine, super quo impetitus est, sit purgatus, *can. Neganda 2. ex l. 19. C. de Hæ. qui accus. in Cause, 3. q. 11. relato §. l. Si quis reus §. ff. de Publ. judic.*

Sed hæc ratione potior, & à DD. recepta est decisio Innocentij III. *c. Cùm dilectus 2.* inter modos, quibus super spolio agenti spolium obijcitur, statuentis discrimen; vel enim hoc fit per viam Actionis, cum super spolio ab ipsa commisso reconveniendò: vel per viam Exceptionis, ad processum iudicium excludendum, aut, donec restitutio facta sit, differendum?

Si prius, ea, quam reus super spolio conventus actori apponit, ut cæteræ Reconventionis causæ, est pertractanda; ac proinde multum refert, utrum ante vel post contestationem litis sit objecta; cum ante vel etiam immediatè post litem contestatam objecta simul pertractanda, & per sententiam terminanda sit cum causa Conventionis, sive ab actore in iudicium deductæ spoliationis: post contestationem autem & in ipso litis progressu à reo per viam actionis objectæ spoliationis cognitio differenda sit, donec ab actore super spolio proposita conventionis causa sit pertractata, per tradita supra *Tit. 4. à num. 32.*

Si posterius, & actori alia spoliatio objecta est per modum Exceptionis, antè de ista, sive spoliij ab actore commissi exceptione, cum dilatoria sit, Glossa in *c. 1. V. Perimitur, de Restit. spoliat. in 6.* quàm de ejus ab actore proposita actione est cognoscendum. Probatà verò eà exceptione reus actori respondere priùs non cogitur, quàm factà sibi spoliij restitutione, ex decisione *c. Cùm dilectus cit.* quia, quando actor

do actor & reus in eadem causa sive luto hærent, favorabilior est causa rei, quam actoris, *l. Favorabiliores l. 25. ff. de R. J.* Sunt tamen DD. qui, licet hanc doctrinam etiam ipsi probent, *c. cit. de spolio actori*, non possessorium, sed petitorium intentanti, obiecto sermonem esse, satis probabiliter velint, ut Petr. Barbosa *in l. Si de Vr 37. ff. de Judiciis n. 437. & 445.* Sed, utcumque hoc se habeat, ex dictis

24. Dubium oritur, an casu, quò reus spoliū excipiendò obiectum probat, actor ad restitutionem ejus, cujus possessione reum dejecit, per sententiam sit condemnandus. Hoc certè suadere videtur ratio; quia iudex de re, de qua cognovit, etiam debet pronuntiare. Sed ratio hæc, licet vera sit, actorem tamen ad restitutionem absolutè condemnandum, non persuadet. Imò eum ad restitutionem de Jure non compellendum, persuadet, *c. Cum dilectus cit. §. Verum*, clara decisio, & ista non minùs clara ratio partim; quia finis exceptionis est, repellere agentem: non consequi rem, quæ excipiendò in ju-

diciū venit, *l. Vindicantem 17. ff. de Evictionibus*; quia exceptio est exclusio actionis, *l. Exceptio 2. ff. de Exceptionibus*; & propterea spoliū exceptio non operatur restitutionem, nisi faciendam sub conditione, quâ actor actionem suam prosequi velit: partim verò; quia iudex officium suum partibus impertiri & pronuntiare debet juxta modum factæ ab eis propositionis, *c. Qualiter 24. de Accusatis. & c. Licet 31. de Simonia ibi, Ut juxta formam judicii sententia quoque distinetur*; ac proinde, si reus solum excipiat, exceptione probatâ actorem ab agendo solum repellere, Glossa *in c. Cum dilectus cit. §. Refutatio & ibi Panormi n. 7.* sicut quando, ut à testimonio dicendò repellatur, testi obijcitur crimen, illò probatò, testis à testimonio solum perhibendò repellitur: non etiam pena criminis ordinariâ punitur, neque inter infames habetur; quia non ad hoc, sed ad illud tantum exceptio, non accusatio, proposita fuit, per textum, *c. cit. in fine & c. 1. de Except.*



TITULUS XI.

De Plus Petitionibus.

SUMMARIUM.

- | | |
|---|--|
| <ol style="list-style-type: none"> 1. Ratio Ordinis. 2. Plus peti potest Re, 3. Tempore, 4. Locò, 5. Vel Causâ. 6. Olim quovis modò plus petens: 7. Hodie super majori quantitate actionem extorquens causâ cadit. | <ol style="list-style-type: none"> 8. Tempore plus petens refundit expensas, 9. Et solutionis tempus residuū duplicat. 10. Tribus casibus exceptis. 11. Aliò modò plus petens sumptus triplicatos refundit Civili, 12. Non etiam Canonico Jure, 13. Et tribunalium praxi spectat. 14. Neque etiam, si ante litu contestationem, |
|---|--|